

# PAVLVS PP. VI

*ad perpetuam rei memoriam*

Perantiquum paroeciale templum, quod Blotnicae in Sandomiriensis dioecesis finibus, in Polonia, exstat, artis quidem maiestate merito prae aliis haud paucis excellit, at maiore fama et laude idcirco honestatur, quod B.M. Virginis imago in eo servatur ac pientissime colitur. Ad eam enim christiani populi coetus frequen- tissimi religiosa itinera iterum iterumque suscipiunt, ut multiplicata obsecratione sibi suisque divinorum munera copiam presentur. Quibus permotus, Venerabilis Frater Petrus Galębiowski, Episcopus titulo Pan- tarius idemque Administrator Apostolicus dioecesis Sandomiriensis, vota quoque cleri populique fidelis si- gnificans, Nos rogavit ut imaginem illam pretiosam diademate, Nostro nomine et auctoritate sineremus redi- miri. Nos autem, collatis consiliis cum Sacra Congregatione pro Cultu Divino, precibus huiusmodi libenti ant- mo statuimus obsecundare. Itaque hisce litteris atque auctoritate Nostra apostolica, eidem Venerabili Fra- tri, quem diximus, partes committimus, ut imagini B.M. Virginis, quae in sacra aede loci vulgo Blotnica colitur, die suo arbitrio eligendo, inter Missarum sollemnia pretiosam coronam Nostro nomine et aucto- ritate imponat, iuxta ritum formulamque praescriptam. Nos vero minime dubitamus, quin haec sacra sol- lemnia in religionis bonum populique spirituale emolumentum cedant; pariterque fore confidimus, ut eius paroeciae cives, quin immo totius dioecesis Sandomiriensis christifideles ad Beatissimam Dei Genitricem ve- nerandam magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Pe- trum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Decembris, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri undescimo.



Joannes Card. Villot  
Secretarius Status

